

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Disputatio Theologica De Poenitentia Infantum Qua
Occasione Oraculi, Joel. II, 16. ...**

**Chladni, Martin
Schroeder, Johann
Vitembergae, 1719**

VD18 11653507

§. XIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-130424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130424)

mire illustrant, & qua ratione etiam contritionem aliquam baptismus producat, satis docent.

§. XII. Quando igitur infans per lavacrum sanctissimum regeneratur, justificatus & renovatus ac sanctificatus est, eo minus dubii reliquum est, adesse *contritionem*, adeoque *poenitentiam totalem* secundum suum formale consideratam. Uti enim post baptismum *Infantem actualiter peccare* non dubitamus, neque Socinianorum pestilens error vel tantillum veri habet, quo Infantes neque peccare neque proprie poenae subjectum esse fingunt. Ut CRELLIVS de *libertate Dei*. Tom. IV. OOpp. p. 62. SCHLICHTINGIVS in *Comment. ad c. V. Roman.* p. 203. Ita poenitentia ad fructuositatem justificationis novae opus esse nemo facile ambigat, quam Spiritus S. una cum aliis sanctis motibus ex fide nascentibus producit. Hoc antea allatus LYSERVS verbis satis dilucidis docet: *In renatis ut justificatis infantibus praeter actum illum internum ex & in fide donatum Christi justitiam modo nobis inexplicabili apprehendentem & effectus modo dictos producentem, procul dubio etiam excitantur motus interni justificationem consequentes, & ad sanctificationem spectantes, ut Deum diligant ceu Patrem, quamvis per sensibiles motus extrinsecos id non exerant, nec quicquam de illo (pertinet enim ad actum reflexum) nisi prius informati fuerint, sciant aut referre queant.* p. 1445.

§. XIII. Prædicatum igitur *verbum* in ecclesia DEI tum legis tum Evangelii etiam *ad infantes baptizatos & regeneratos pertinere*, dubitari non debet. Nam si ne quidem regeneratio ipsa sine verbo fit, cum elemento aquae nimirum conjuncta, imo in certis casibus solo verbo ante vel extra baptismum, quod exemplo Johannis patet, quem *faliisse in utero non sine precedente verbo proficitur* LUTHERVS noster in *Artic. Smalcald. VIII.* p. 333. certum omnino est, post baptismum peractum infantes per illum rege-

regeneratos ad pœnitentiam vocari per verbum in ecclesia DEI resonans. Neque tunc prorsus auditus verbi excludi debet, quandoquidem non protinus ad actus reflexi præsentiam vel necessitatem valebit consequentia. Benedixerunt Jacobus & alii Patriarchæ filiis & nepotibus verbis ab ipsis auditis & a Spiritu S. ipso interdum consignatis: non tamen sequetur, puerulos omnes aut intellexisse ea aut mentem sibi revocasse instar adultorum. Valebat vero nihilominus benedictio Patriarchalis & valitura fuisset, tametsi filioli illi bimuli fuissent, neque dubium & Patriarchas verba sua eodem modo atque tenore ad ipsos pronunciaturum fuisse. Neque aliter Christus assumpsit infantes, blandissimis excepit verbis & iis benedixit, procul dubio *alloquendo*, ut sermonem audirent, etiamsi intellectu instar adultorum minime assequerentur, & effectum nihilominus sortita est benedictio. *Modus vero, quo verbum auditum fuit applicatum, nos omnino latet Marc. X, 16.* Ut ita, quando *auditum verbi removere* videntur Nostrates ab Infantibus, non sine grano salis intelligendi sint, nam aut loquuntur *de Infantibus nondum baptizatis*, in quibus Sacramentum Baptismi negotium conficit, non auditus verbi; tametsi ne hic quidem prorsus excludi queat: aut *de auditu cum intellectu ad verba pronunciata* instar adultorum attendente, conjuncto, qualis omnino excluditur. Id quod notandum putamus, ne Lector turbetur in lectione LYSERI, quando in discrimine inter adultorum & Infantum fidem constituendo inter alia negat, *hanc per verbum audibile produci p. 1440. & auditum verbi ad Infantes non pertinere scribit p. 1447.*

§. XIV. Quid itaque superest in Infante per baptismum regenerato quoad operationem Spiritus S. discriminis, quam *absentia, vel presentia actus interni reflexi & externi significandi*? Parum sane aut nihil. Videtur hoc